



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. I. Potentiæ humanæ definitio, eius imbecillitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

POLITICORVM

LIBER OCTAVVS.

DE

POTENTIA REI P V B L I C Æ.

CAPVT I.

Potentia humana definitio; eius imbecillitas.

Quid po-
tentia?



POTENTIA est ad sua conseruan-
da, & alterius obtinenda idonea-
rum rerum facultas, ita nobis o-
rator Romanus potentiam de-
scribit. Res illa multis rebus
constituitur, opibus, armis, vi-
ris, commeatu, urbibus, arci-
bus, & prudentia his omnibus

recte vtepte.

Omnis po-
tentia im-
potens.

§. 2. Omnis humana potentia comparatè dicitur.
quicunque enim inferiorum collatione est potens,
ille si maiorem aggredi velit, se sentiet esse imbecil-
lum: concurrant inter se arietes, & de imperio gregis
decertant, at lupo tam victor quam victus in prædam
cedit; ille quoque cum molli pecore ingluuiem farse-
rit, Leonis aut vrsi dente peribit: Septuaginta reges
Adonibezec mutilos reptare sub mensa sua vidit: sed
passus est à potentiore, quod infirmioribus ipse ma-
lum intulit. Messaniam premunt Siculosque, Pœni-
fortiores, sed Romanum hostem potentiorem con-
citant, donec ablato mari, raptis insulis, tributa dede-
runt, deinde urbem quoque & libertatem amiserunt.
Philippus Macedo non vetus ille, sed quem Romani
vicerunt, Athenas tyrannico dominatu infestat, abu-
sus in nobilem urbem potentia, sed eam Romana
vis, iam Carthaginis domitrix elisit, vt Macedonia
tanti imperii possessio modica fuerit.

Potentes à
potentiori-
bus elisi.

Vires suas
victi agno-
scunt.

Nec fere illi, qui vicinis potentiores videbantur,
vires suas agnoscere potuerunt, donec eos ferro ceter
grassantes grandior aliquis monarcha compescuit.
Fere enim illa omnia gentium fata fuerunt, vt dum
potentiæ augendæ insistunt, libertatem amittant. A-
tuorum quoque tempore dum cunctæ ciuitates Italiæ
bello se impetebant, cumque de potentia certarent,
& superba Carthago educerent, in paucorum pote-
statem concesserunt.

Magna po-
tentia non
nisi in ma-
gna republ.

§. 3. Potentia magna non nisi in magna Republica
esse potest. Maxima tamen regna crebro infirma sunt,
& mediocria potentiora. Quemadmodum enim non
sunt corpora validissima, quorum est procerior mo-
les, sed quæ symmetriam ac vigorem habent, ita quo-
que vasta illa corpora terrarum, indole, situ, aliisque
rebus, non spatiis æstimanda sunt. Hoc in magnis re-
gnis potentiam vehementer infringit, cum vna pars
debilitatur, aut rebellat; quæadmodum vnus mem-

bri dolor, non modo suo malo torquet artus, sed ani-
mum quoque corporis rectorem deiecit, & cætero-
rum officia membrorum corrumpit, ita quoque in
hac vasta mole prouinciæ vnus alienatio, tumultus
ue, fidas quoque ciuitates commouet. Atque olim
fieri audiuimus, & nostro tempore experimur, vnus
prouincia rebellionem, quæ vix centesima regni pars
sit, quietem omnium partium turbare, omnes sum-
ptus in vnam impendi.

Vasta cor-
porum
modis
nexus.

§. 4. Sed quid est potens: quod non potens? Quis
tanto nomine dignus, vt non modo potens, sed etiam
potentissimus? Quoniam non cognoui literaturam,
introibo in potentias Dñi. *בִּי-לָא יֵדְעֵי סִפְרוֹתָא*, vt 70. vel vt alii *אֵלֵינוּ*
non cognoui *אֵלֵינוּ*, humanam & subdolum sapientiam, quæ libi
imperia moderari videtur, introibo in potentias Domini,
quæ omnem potentiam fecerunt, *Annuntiabo mirabi-*
lia eius, potentiam & iustitiam Dei vsque in altissima. Hec
est enim vera potentia, hominum est misera poten-
tia, quæ ex minimis momentis pendet.

Potentia hu-
mana est
imbecillitas

Si exiguis finibus constringitur, tota in se collecta
est, & cum in vicino bellum oritur, de tota salute, &
de capite dimicat. si lata ditione populos subiectos
habet, multis partibus vulneri patet, perpetuo labo-
re, innumeris periculis intricatur, quæ enim regio
addita, non secum noua pericula ducit? Multis im-
peras? at multis displices, multi oderunt, in te tuos-
que, sine quibus saluusse non potes, multa licent
multis. Demosthenem dixisse ferunt: si duæ viæ pa-
terent, altera ad inferos, ad solium altera, se eam esse
electurum, quæ ducit ad inferos; credo sincere non
esse locutum; sed tamen miseriam eorum ambi-
tionem esse ostendit, qui per labores, pericula, vulne-
ra conscendunt in cacumen lubricum, nutabun-
dum, fulminibus ventisque agitarum, vbi nec confi-
stere, nec inde discedere possunt, sine conspectissima,
& in qua fortuna imperium exercere gaudet, ruina.
Quot enim non modo reges, sed populi etiam in cel-
so culmine steterunt, vt aliud non videantur habuisse
se emolumentum, quam vt longius audiretur

Ambitionis
malam.

Regificæ sonitus ruina?

Nam magna sit potentia, certa non est diuturna.
Thebanorum brevis fuit Epaminonda viuente in
Lacedæmonios dominatus, de quo gloriantibus di-
cebat Cotys. Thebanorum potentiam esse instar
torrentis qui cito exarscit, Spartanorum fluuii per-
ennis more perdurare. Vere de Thebanis dictum;
de Spartanis ex comparatione magis, quam ex vero.
Nam torrentis ille quamuis per se uerantior fuit be-
otio, non diu tamen fluxit. Vidit Euroras Spartam
emergentem, periclitantem, dominantem, teruen-
tem,

Momenta-
nea potentia.

Minima
momenta
regna m-
rima.

tein, demum ex *Asia*. & nunc myricas, ubi Sparta fuit. Regnorum veterū iam pridem nomina deserunt, & ubi retinentur, alia sunt gentes, nulla est fixa potentia, migrant magna imperia. In oriente cœpit monarchia, & in Nabuchodonosore apicem tenuit, caput aureum desinit in pectus & brachia argentea, hæc vitro, & femoribus areis excipiuntur, quæ desinunt in tibias ferreas, & luteas, Dan. 2. Interim non fortuna, sed Deus rotat hunc orbem, in quo si quis superiora tenet, necessest iam descendere, nulla est, aut brevis quies. Dum vero lentius tota regna mutantur, quot interea regum pereunt: quotus quisque suo fato fungitur? & potens est, quem febris exurit? angina stragulat? aqua inter cutem suffocat? & ut breui dicam tot morborum centuriæ, quot membra sunt, exanimant? Zoroaster potens videbatur, sed spectante sua potentia occiditur, Ninus eo victo sagitta transfixus est, Cyrus de vtre Thomyris sanguinem bibit. Xerxes Artabanus, Darius amici, Alexandrum domesticos hostes, Antiochum cōiunatores occiderunt. Quin nostro tempore, sapientia, bello quodque caput est, clementia magnus rex, Henricus I V. cum collecto magno exercitu totam Europam terrore, aut spe impleisset, ab homine fanatico inter stipatores suos trucidatur.

§. 5. Cum igitur potentia omnis brevis sit, cum inualida, parce vtendum ea est, non vt sit diuturna, vt monebat Cato, sed ne sit brevissima. Aureum dictum Pertinacis est. Sanctius est P. C. inopem Rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per discrimina, atq; de decoris vestigia peruenire. Primum igitur potentia bonū est, moderatus vsus. Alterum ne maiora audeas viribus, & fortunam speres adiutricem, quod quamvis aliquando non male cedat, nunquam tamen sine culpa temeritatis committitur. Deniq; ne sine causa potentiam consumas in eas res, quæ illam non augent, vt Cyrus cum diuideret Gyden in 36, riuos, rē pulq; bellandi in cilibus fodiendis absumeret; vt Cæsar cū neglecta summa rei ad Massyliam exercitum atterit; Quamvis Hesperium mundi properemus in axem Massyliam delere vacat.

At sane non vacabat, si illa occasione Magnus vt potuisset. Hoc moneo, quia semper factum est. In se magna ruunt; Vide Romanam potentiam, postquam patrem habere desiit, in se diuisa est. Illa Roma Quæ nihil in terris complectitur alius æther, Cuius nec spatium visus, nec corda decorem, Nec laudem vox vlla capit, quæ lucem ælli Aemula vicinis fastigia conserit astris. Armorum, legumq; Parens, quæ fundit in omnes Imperium, primiq; dedit cunabula iuris. Hæc est exiguis quæ sinibus orta, retendit In Geminos axes, paruaq; à sede profecta Dispersit cum Sole manus. hæc obuia satis, Innumeras vno gereret cum tempore pugnas, Et Gallum terris prosternebat, æquore Pænum, Nunquam succubuit damnis, & terribi nullo Vulnere, post Cannas maior Trebiamq; fremebat.

Illam tamen vires non in ventos, quod stultum est, sed in sua viscera, quod immanissimū est, omnes absumpsit, donec barbaris, Erulis, Alanis, Gothis, Wandallis, Longobardis seruatum iuit.

§. 6. Quam sit infirmis innixa columnis humana potentia, viresque attrita nullum cœtius est lignum, quam quod non violenta manu, sed exiguis momētis, leuique occasione maxima semper imperia conciderunt. Quod vero ab occasione mutabilis dependet, infirmum est. Romanum imperium à senatu in Cæsares Cuius transiit, nec illi causa belli alia, quā magnitudo artis alieni, inde transiit ad Augustum, quia Ciceronem aiebant dictitasse; Puerum laudandum, & tollendum; Eo verbo offensus Octavianus à se-

natu se abalienauit; quod negaret se commissurum, vt tolli posset. Claudius deinde Imperator factus cū eum è latebris pauci milites protraxissent; atque ita fere sanguinolenta tragœdia per orbem Romanum durauit. maxima prælia vna voce, ostentoue in alteram partē inclinant. Vix igitur videtur esse locus potētiæ, quæ occasionibus tam multis esse definit potentia.

§. 7. Mihi illa omnia cogitanti in mentem venit, nihil esse in rebus humanis admirabilius, quam Dei prouidentiam occasiones moderantem, nam ipsa potentia rerum humanarum cum maxima est, occasione parua subuertitur. Hannibal in Italiam venit, exercitus à sole, & meridie veniens per fractis alpihus facile vinci potuit ab Romanis, sed omnes occasiones intermissæ sunt; nullius cura prohibitus est, ne transito flumine Italiam intraret, exercitumque recrearet. Omnes occasiones Hannibal captat, diem frigidum, equitem nebula & virgultis occulit, demū etiam ad Cannas puluere, vento, sole pugnavit. Ecce nihil iuuerat potentia, & exercitus, nisi occasione veprium, nebularum, imbrium, frigoris, venti, pulueris vicisset. Jam summa in trepidatione Roma fuit, & vltimus dies, si Hannibal vt victoria voluisset, sed occasione neglexit; nec suis Roma viribus, sed hostis imprudentia seruata est. Multis formidabile Turcæ imperium videtur, sed reuera occasione sola inualuit, & nunc quoque nostra dissensione se tueretur. Mahometi occasionem dedit Heraclius, cū Saracenicis militi, cuius fida opera vsus erat, pro stipendio contumelias inferret, Saraceni deinde creuerunt, quos Turcomanni subegerunt; Tandem Ottomannorum familia Asiam occupat, cum duo Adronici Auus, & nepos inter se decertarent, facile autem erat vincere discordes. Orhanem deinde eorundem Græcorum, & Cantacuzeni, & Palæologi dissidia potentem fecerunt. Amurathi Palæologus Græciam tantum non in manum dedit; oderant Imperatorem suum Græci rebelles, ille, vt eos compesceret, Amurathen aduocat, qui veniens seditionis vindex, imperium Græciæ obtinuit, pro auxiliatore raptor. Baiazethen Tamerlanes subegit, Calepinus cum ex fuga se collegisset, desperatas res Ottomannidarum proceres Græcorum adiuerunt, cum vno prælio imperium illud tolli potuisset, itaque mox Machometes Græcorum vires in ipsos conuertit; at Amurathē secundo regnante Græci illi primum patrum, deinde fratrem puerum aduersarium instruunt. Tanta erat vefania, mollitiq; Constantino politanorum, vt barbaros armis, pecunia, viris instruere mallent, quam ipsi se firmare. Hinc deinde cum opibus abundarent, victi sunt, quod eas in militem conscribendum impendere nollent. Nobis iam hostis ille timetur, quia occasionem, seditionibus, bellis ciuilibus, hæresibus, diffidentia præbemus. Nec deest illi animus, sed à Persis fatigatur. Nec quicquam promptius est, quam vt ab aliquo discordium in auxilium vocetur. Fecerunt id Græci, fecerunt Hungari, & excidio culpam luerunt; ante Alphonsum secundus, & Ludouicus Sfortia contra Gallos, & Venetos Baiazethen vocauerunt, quin Francisci I. Franciæ regis, & Henrici 2. tempore classem eius discordiæ nostræ in Ligusticum mare, prædæq; accersuerunt; Extat oratio Britannici apud Turcam imperatoris, qua eum hortatur cum sua regina arma in Hispanum vertere. Tot ergo occasionibus aduersitatum expostum regnum, potens dici non potest.

Dei prouidentia occasiones subministrat.

Turcicum imperium occasione dissensionum creuit.

Græcorum insania.

Queruntur dudū Turcæ inspectore à multis geri.

§. 8. Sed neq; Turcicum regnum potens est, si bellum Vngaricum continuatum fuisset, facile mediocri apparatu regno pulsus fuisset. Haidones sese contra eum tuerunt in Pannonia, Cosacci in Polonia vltro arma inferunt; Arabes omnia infesta habent; nec vlla re nunc in Europa subsistit, quam nostra desidia, qui occasione non vtimur.

CAPVT